Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

scripturis quae sic dicit Gregorius super Ezechielem omelia viii. Qui sacrae scripturae aliud sentit quam ille qui scripsit, etiam si sentit utrumque a pietate fidei non recedit. ¶ Tertius gradus est cogitatio. Psalmus: Cogitavi dies antiquos. Psalmus: Cogitavi vias meas et converti pedes meos etc. Sapientiae viii: Cogitare de sapientia est sensus consummatus. Est autem cogitatio decursus rationis de uno oppositorum ad reliquum quam de simili ad simile vel de eodem ad diversum. Unde dicitur cogitatio quasi coagitatio, quia ad invicem vel coniuncte coagitantur rationes ad propositum. Job xvii: Cogitationes meae dissipatae sunt torquentes cor meum etc. quod contingit propter aequivalentiam rationum, quia non possum invenire praevalentiam et praepollentiam unius ad aliam. Danielis ultimo: Angustiae mihi sunt undique et quid eligam ignoro etc. Haec cogitatio innititur dono scientiae et intellectui scripturarum respicientis ad illa media sola quae faciunt in rationibus ad fidem astruendam et dilatandam et defendendam, obmissis vanitatibus apparentium vel apparenter cogentium rationum, quae sic dicit Sapientiae ix: Cogitationes mortalium timidae et incertae providentiae nostrae. Unde sicut dicit Sapientiae xiii: Vani sunt homines in quibus non est scientia dei vel scientia fidei. ¶ Quartus gradus est meditatio. Est autem meditatio cum delectatione mentis et conatu perficiendi opus inchoata cogitatio de quo Psalmista dicit: Tota die meditatio mea est etc. Ista meditatio praesupponit scientiam procedentiam vel inquisitionem tendentem de notis ad scibilia, de inceptis ad ulteriora per donum timoris. Item considerationem de communibus ad propria, de manifestis ad occulta et de certis ad incerta per donum pietatis. Item de cogitatione de sensibilibus ad similia, de creaturis ad creatorem per donum scientiae. Includit enim primo intelligentiam immutabilis veritatis. Unde subdit causam huius dicens: Quia in aeternum tu es et tamquam veritas immutabilis. Unde dicit supra: In aeternum non obliviscar iustificationes tuas etc. Psalmus: Os iusti meditabitur sapientiam. Psalmus: Meditabar in omnibus operibus tuis etc. Secundo delectationem bonitatis. Unde subdit quia meditatio mea est et promissa tua amabiliter me delectant. Psalmus: In meditatione mea exardescet ignis scilicet divini amoris. Psalmus: Meditatio mea in conspectu tuo semper etc. Tertio conatum perfectae actionis quae est effectus et signum perfectae dilectionis. Proverbiorum xv: Mens iusti meditatur obedientiam scilicet faciendorum mandatorum. Johannis xiiii: Si quis diligit me sermonem meum servabit et faciet actu et opere et non solum meditabitur animo et mente. ¶ Ista meditatio innititur dono fortitudinis cum consistat et innititur non in sola dilectione sed in actione quam exequitur et perficit fortitudo. Psalmus: Fortitudinem meam ad te custodiam etc. Quintus gradus est scrutatio. Est autem scrutatio rerum dubitabilium et certarum ac mysticarum scripturae diligens et perfecta inquisitio. Psalmus: Mirabilia testimonia tua domine, ideo scrutata est ea anima mea. [illegible]. Ista scrutatio innititur dono consilii quod reserat dubia et occulta ad cognoscendam dei voluntatem super operis executionem. Ysaiae ix: Vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius etc. Psalmus: Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi. Sextus gradus est comprehensio quae est invisibilium et aeternorum per modum mentis possibilis perceptio et cognitio. Unde ad Ephesios iii: Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit longitudo etc. Haec autem comprehensio sive perceptio innititur dono intellectus ad cuius actum pertinet comprehendere invisibilia et aeterna. Danielis x: In visione opus est intelligentia etc. Item: Intellige verba quae ego loquor ad te et sta in gradu tuo, scilicet non retrolabendo per gradus per quos ad intellectum divinorum ascendisti. Septimus gradus est contemplatio propriae dictae, scilicet quae sine discursu inquisitionis, excitationis, cogitationis, scrutationis et meditationis consistit in simplici intuitu primae veritatis. Haec est visio

† appetibilis